



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Apotheca Spiritvalivm Pharmacorvm Contra Lvem Contagiosam Aliosqve Morbos**

**Wichmans, Augustin**

**Antverpiae, 1626**

Cap. XLIV. De S. Eligio Nouiomensi Episcopo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9653**

## CAP. XLIV.

*De S. Eligio Noniomensi Episcopo.*

**Q**ua de causa hunc magnum Flandorum & Antverpiensium Apostolum hinc annumerem, rationem dabo ex Ferreolo Locrio & Gulielmo Gazetio Anno circiter 1188. pestilens epidimia & mortalitas inuaserat urbem Bethuniensem & circumiacentes Artesia regiones, ita ut plerique repentinè planè morte è vita abriperentur; quæ tandem intercedentibus meritis S. Eligij, de consilio eiusdem repressa & extincta fuit. Illà enim adhuc durante apparuit S. Episcopus vna eademque nocte duobus fabris ferrarijs, vni Bethuniæ, alteri Bebriaci (inter quæ interuallum est passuum amplius mille) dicens eisdem: Instituetis Confraternitatem charitatis & efformabitis cerem in honorem mei, quorum intuitu per virtutem omnipotentis Dei sanabo omnes vestros infirmos, & grassantem contagionem tam ab hominibus quàm à pecoribus vestris propulsabo. Sequenti die hi duo fabri ferrarij Germon & Gualterus homines vitæ irreprehensibilis sibi mutuò Bethuniam inter & Bebriacum ad certum fontem occurrunt. Interrogant inuicem quò tendant aut quid meditentur. Respondet vnus se nocte præcedente mirabilem visionem habuisse de instituenda confraternitate, & cereo formâdo in honorem sancti Eligij ad propulsandum presentis mortalitatis malum, de qua visione plenius à peritioribus desiderabat instrui. Alter his auditis, prorsus obstupefactus, eadem sibi contigisse affirmavit. Itaq; communi consilio rem statuunt communicandam.

In Chron-  
icis suis  
Belg. an.  
1188.

Gall. Ben-  
vrij.

Re-

Rogoni ad D. Præiecti in suburbij Bethuniensibus occiduis Priori singulari vitæ sanctimoniâ prædito. Ille re diligentissimè inquisita & intellecta, auctor fit vt Bethuniam pergant atque ab Ecclesiastica potestate licentiam petant sodalitatem quamdam Charitatis & Christianæ in defunctos pietatis erigendi, cuius principale insigne & ornamentum foret Cereus de viridi cera. Quâ obtentâ regulas & statuta ordinant, atq; ad eius legitimam & politicam administrationem XXI. ex honestissimo ciuium ordine deliguntur, qui communibus suffragijs Præpositû & quatuor viros creant, quos Maiores nominant (fitque etiamnum quotannis) qui se duces præbeant & ceteros pro sua auctoritate, sese subsequi cogant, in ædium mortualium penetralia, inde cadauera exportare, sandapila ad sepulturam efferre quocumque morbi genere etiam pestilenti extincta, modò in Sodalitatem nomina dederint, & intra statos oppidi limites mortui deprehendantur. Et annis propè abhinc quadringentis vsu & longinquo temporis periclitatione est compertum, nihil vnquâ contagionis ex adfectis corporibus contraxisse eos, qui tam pium Christianæ charitatis munus exercerent, Deo per merita S. Eligij eos defendente; vnde promptissimo animo etiam honestissimi ciuium sese illi obsequio lubenter impendunt. Quod verò ad Cereum, est ille toto Belgio memoratissimus, atque etiamnum visitur, pompis solemnibus circumfertur, ad sacra accenditur Missæ mysteria, neque vlla tamen sui parte deperire perhibetur, Deo nouam semper materiam miraculosè illi suppeditante, prout & de B. nostro Iosepho Præmonstratensi in Steinfeldiâ prope Coloniam Canonico legimus, quod sæpè diligenti animaduersione deprehensum est, inter Missarû solemnia quæ vir deuotissimus in Deum abreptus vltra horam & medium, quandoque vltra duas protrahebat,

Vide Sugium in vita s. April.

trahebat, ardentibus in altari cereos ne vel ad hulum quidem imminutos fuisse. Scilicet hæc dicit Dominus Deus Israel: *Hydria farinae non deficiet, nec lecythus olei minuetur.* 3. Reg. 17

Simile prorsus de Cereo Atrebatensi legitur; cum enim anno circiter 1105. Lamberti Episcopi Atrebatensis tempore ob corruptos hominum mores & effusos in vitia & libidinem (libido siquidem à quibusdam rectè cathedra pestilentiae nominatur) animos, inclementior aura cœli & pestilens aëris aspiratio Deo vindice Atrebatenses primò, mox etiam circumiacentes regiones incenderet, flagrante veluti igne eam corporis partem quæ afficiebatur, adurente, atque omni ope & remedio destituti, jacerent magno numero ad porticum & templum D. Virginis eius misericordiam magno eiulatu implorantes; ecce Regina misericordiae duobus Citharoëdis Itiero Brabantino ac Petro Normanno splendido amictu refulgens utriusque eorum seorsim apparuit die quodam Lunæ sub noctem, dicens: Lamberto Episcopo Atrebatensi indicabitur ut Sabbato proximo nocte vigil excubet ægros iuxta templum decumbentes visitando. Sub primum galli cantum conspicietur in simili quâ gesto, veste, mulier à choro templi delabi cum cereo in manibus quem vobis tradet, de quo ceræ paucillum instillabitis in vasa aquæ plena quam ægris quibusque deinde potandam præbebitis, eademque inflammatas pestilenti lue partes irrigabitis. Quotquot autem hoc salutare remedio viuâ fide credentes uti voluerint, euadent incolumes: quotquot autem despexerint, morte corripiantur. Episcopus re cognitâ & diligenter examinatâ, fidem tandem ipsi adhibet. Illi ieiunio tribus diebus religiosè obseruato, totoque die in precatione consumpto, sub noctem ad templum profecti orantes pernoctant usque ad id ferè temporis quod eis fuerat indicatum. Nec

mora adfuit in nota veste B. Virgo, videbaturq; à suprema parte chori cum accenso cereo delabi quem illis obtulit, eadem ad omnes, quæ antea ad Githarcedos, verba faciens de miraculosa eius virtute, utque eundem in perpetuam tam insignis beneficij memoriam studiosè conseruarent. Expletis postmodum aquæ vasis Crucis signū Episcopus cereo exprimit, ceræque nonnihil in aquam instillat, utque infirmi de illa cum magna reuerentia & fide bibant, exhortatur. parent monitis, bibunt, partes infectas eadem lauant, moxque tam in partibus vitalibus interioribus, quæ acri veluti flammâ adurebantur, quam in membris exterioribus, quæ iam pænè computruerant, leuamen maximum sentiunt. Fuerunt illic ad centum sexaginta ægroti omnesque conualuerunt, excepto vno qui sacram despiciens medicinam ausus est temerè delaterare malle se vinum, aliaque contemnentis animi edere indicia. at non impunè: Tantus enim subito illum ardor inuasit, ut continuò in morem furentis exhalaret:

— *Audi impia turba profanis*

*Quæ salibus gaudes diuina illudere facta.*

*Est Numen quod cuncta oculis hæc arbitratur:*

*Et quoque cum punit. si non in tempore, fiet*

*Credite dum fuerint vitæ lumina adempta.*

Veneranda postmodum piorum virorum Congregatio ibidem est instituta, quam in tanti beneficij memoriam Flagrantium siue Ardentium societatem nominant. Extat in foro minori vetus superbaq; pyramis æquandum antiquæ artis opus, vbi Cereus magno cū cultu religioneque in theca argentea asseruatur, & quotidiana pænè ibidem hodieq; contingunt miracula. Mirum sanè est quòd tãto tempore toties accensus, & in aquâ instillatus Cereus ille quoties necessum fuit, haud tamen diminutus sit; quin potius auctus videatur; ex defluentibus siquidem guttis  
tantum

tantum ceræ collectum est quantum pluribus alijs cereis efformandis suffecerit, qui varia in loca transmissi ob parem vim efficaciamq; pari in honore habentur. Plura de eodem vide apud Guil. Gazetium S. Magdalenæ Atrebatii pastorem, qui hanc Historiam Gallicè descripsit ex codicillis quibusdam, & vulgi traditione desumptâ, & post-eà à Sixto IV. & Clemente VIII. approbatâ. Notissimū est cū an. 1598. pax Gallica proclamaretur, quòd duabus ampliùs horis corā Matthæo Moulartio, Clero & populo vniuerso Atrebatensi, nulla sui diminutione arsit. immò an. 1600. coram Alberto Pio & Isabella Clara Eugenia, & varijs proceribus aulicis per tres ampliùs horas similiter arsit prædictus Cereus, nullâ tamen sui parte imminutus. Quin & rogatu eorundem principum ex cera guttatim deliquata globulus compactus auro solido inuolutus atq; ipsis Principibus dono datus.

Miræ. in  
fast. vlt.  
Iunii.

Mirabilis certè in operibus suis Deus! nuda cera & aqua sola tã voracem pestilentia extingueret cui, ipsa cera qua si fomentum videretur subministrare. Sic lutum imponēs oculis cæci, quod humano iudicio prorsus contrariū iudicaretur, eum illuminauit. Ita cataplasmate ficuū quæ per se vlceri potiùs obsunt quã profunt, vulnus Ezechia regis curauit. Sed non est alligata creaturis omnipotens supremi Archiatri manus, quæ vt instrumenta creatori suo ad omnem effectum obediunt in nictu & ictu oculi.

Illud deniq; Belgis meis inculcandū existimo, vt hunc sanctum Episcopum Eligium miserrimo hocce tempore sedulâ animi deuotione inuocent, ac potissimùm præ reliquis, qui in Antuerpiensi hoc districtu cōmorantur, quibus tamquã spiritualis pater lac primus in Christo dedit. Multum enim in Flandris laborauit: jugi instantiâ Andoverpis decertauit, primus ideò Antuerpiensium Apostolus habitus juxta illud non inelegans.

Sanctus  
Ando-  
nus lib. 2.  
ca. 3. & 8.

*Quod Eligius plantarat,  
 Willibrordus irrigarat,  
 Tanchelinus deuastarat,  
 Norbertus restituit.*

Flandrenses atque Andouerpienses, Frisones quoque & Sæui & barbari quique circa maris littora degentes, quos velut in extremis remotos nullus adhuc prædicationis vomer impresserat, primum eum hostili animo & auersâ mente susceperunt. Postmodum verò cum paulatim per gratiam his verbum Dei insinuare coepisset, pars maxima trucis ac barbari populi relictis idolis, conuersa est ad verum Deum, Christoque subiecta. Ita Audoënus. Festum celebratur Kalendis Decemb. quamuis in festo S. Andreae obierit hora prima noctis.

### C A P. XLV.

#### *De S. Willibrordo Episcopo Traiectensi.*

**S**anctum Willibrordum in Apostolatu Antuerpiensi successorem habuit S. Eligius; habebit etiam in Ordine Tutelarium patrum contra pestem successorem, & utrumque contra eandem adiutorem habebunt Antuerpienses, immò & Belgicum vniuersum, cui fidei Christianæ initia S. Pontifex dedit, ac cum Belgio Orbis Christianus vniuersus. De hoc sancto viro ita scribit Albinus Flaccus Caroli Magni præceptor: Est in ciuitate Treuirensi Monasterium puellarum, quod temporibus B. Willibrordi Episcopi pestis acerrima inuasit. Cuius acerbitate multæ ex ancillis Dei moriebantur: quædam verò longo infirmitatis dolore jacebant in lectulo. Ceteræ nimio

Surius  
7. Noueb.